

B. C. D.

PANDECTARUM  
CONTROVERSIÆ  
POTIORES PRACTICÆ

è

Compendio Digestorum Lauterbachiano  
collectæ, in usum Disputantium Doctoribus consen-  
tientibus & dissentientibus congruò locò adauctæ,  
& Publico Examini per diversas XII.

Disputationes submissæ

PRÆSIDE

LÜDERO MENCKENIO,  
Phil. & J. U. D.

Respondentibus

Carl - THEODORICO Serbern/  
CYGNEO,

&

CHRISTIANO - BENJAMIN JACOBI,  
DRESDENSI.

LIPSIÆ,

Literis JOH. GEORGI,  
M DC LXXXIV.

†

~~Handwritten scribbles and musical notation~~  
e e

coll. diss. A  
000, 29

A. 200(29).





## Disputatio I.

I.

EX. II. LIB.

I.

**A**uthenticæ non valent, nisi quatenus cum Novellis conveniunt.

II. Codex derogat Digestis. *Diss. Franz. Proæm. Pand. n. 14. Scot. ad Inst. D. I. th. 7.*

III. Conciliorum decreta, Pontificum Constitutiones, sententiæ Patrum & Leges Romanæ in Decreto non habent majorem auctoritatem, quam auctores, unde compilatum est.

IV. De publica actuum frequentia & diuturnitate temporis ad eliciendam consuetudinem cognoscit Judex. *l. 1. §. 2. ff. de Jur. del. unde nec regulariter actus repetitus. Diss. Colet. d. Proc. Exec. Part. I. c. 3. n. 34. nec decennii lapsus sufficit. Diss. Myns. Cent. 6. O. 41. n. 9. 10. Don. l. 1. c. 10. l. e. Conf. Menoch. Arb. Jud. Q. l. II. c. 81. n. 2. seqq.*

V. Leges statuum imperii Provinciales non rectè Edictis Prætorum comparantur. *Diss. Schneidw. ad §. 1. j. de abl. n. 5. cum all. Conf. Bach. ad π. ω. τ. a. t. de Statut. n. 5.*

VI. Legitimi per subsequens matrimonium de consuetudine (modernâ sc., non Jure feudali) in feudis succedunt. *Diss. Borcholt. de feud. c. VII. tit. de success. n. 48. Clar. sent. l. IV. §. feudum q. 82. n. 4. Conf. Carpz. Disp. V. Feud. th. 34.*

VII. Dignitas Doctoralis non liberat à patria potestate. *Diss. Myns. ad §. 4. j. Quib. m. pat. pot. n. 7.*

VIII. Molendina Pneumatica sunt immobilia (a) ut & navalia (b) (a) *v. Dec. El. N. LIII. Diss. Carpz. P. III. C. 24. d. 8. n. 5. (b) Diss. id. n. 3. Col. Dec. CCLXXXVI. n. 287. Beust. d. Jur. Conn P. II. c. 69. pr. Berl. P. III. Concl. 30. n. 12. Strauch. Diss. 7. Justin. th. 1.*

IX.



- IX. Immobilibus accensentur lecti cum supellectile sua, in divet-  
foriis perpetui usus gratia existentes. *Diff. Carpz. P.II. C.24.*  
*d. 10.*
- X. Jurisdictio in generali & nativa significatione etiam merum EX II.  
imperium complectitur. *Diff. Hahn. ad Wesf. t. de Jurisd. n.2. LIB. II.*  
*verb. Id proprie. Bach. ad Treutl. V.I. D.3. tb.1. l. a. Conf.*  
*Carpz. P.II. C.40. d.6.*
- XI. Insinuationes donationum fieri possunt coram iudice incom-  
petente. *Conf. Carpz. P.II. C.12. d.18. Diff. Vaud. var. quest. l.I.*  
*q. 11. Wiss. P.II. D.16. tb.13.*
- XII. Merum imperium nec hodie Jure Magistratus competit.  
*Diff. Phil. Matthæi ad l.70. ff. de R. I. n.9. 10. Perez. ad C. r. d.*  
*jurisdic. omn. jud. n.23.*
- XIII. Jurisdictio tam personalis quam realis regulariter subordi-  
natè concessa censetur. *Diff. Scot. ad ff. D. XII. tb. 11. Myns. C. VI.*  
*O. 99. Conf. Zigl. d. I. Maj. l. I. c. 29. tb. 13. seq. Struv. S. I. F. c. VI.*  
*a. 18. n. 6.*
- XIV. Præsentes in causa, ad quam citati non sunt, in iudicio re-  
spondere haudquaquam tenentur. *Diff. Gail. l. I. O. 51. n. 7. 8.*  
*Myns. Cent. VI. O. 6. n. 8.*
- XV. Citatio etiam in causis notoriis non est omittenda *Diff. Me-*  
*noch. d. A. I. Q. l. I. c. 17. n. 15. Treutl. V. I. D. 4. tb. 8. l. a.*
- XVI. Libellus alternativus non est admittendus in actione hy-  
pothecaria: *Diff. Gail. l. I. O. 62. Berl. P. I. Concl. 12. n. 28.*
- XVII. Reus Actori edere tenetur instrumenta, si agatur de repli-  
catione illius probanda. *Diff. Hill. ad Don. l. XXIII. c. 7. lit. l.*
- XVIII. Tacitum de non petendo pactum inter Creditorem & de-  
bitorem intercessisse creditur, etiamsi, pluribus tabulis ejus-  
dem debiti scriptis, non omnes fuerint redditæ. *Diff. Vinn.*  
*S. Q. L. I. c. 7. Scot. ad ff. D. XIV. tb. 8. Duaren. ad l. 2. ff. de*  
*Pact.*
- XIX. Circa viventis hæreditatem pactum affirmativum, quod  
fit de succedendo, respiciens paciscentium hæreditatem re-  
gulariter J. Civ. nullum est, etiamsi sit conservativum. *Diff.*  
*Carpz. P. II. C. 35. d. 22. Muscul. de Success. convent. memb. I.*  
*class. 1. concl. 3. l. 0. Heigius P. I. q. 23. n. 14. seqq.*



- XX. Transactio non infirmatur propter enormem laesionem ex l. 2. C. d. Resc. vend. *Diff. Fach. Controv. l. II, c. 26. Berl. P. II. Concl. 42. n. 5.*
- EX II. LIB. III. XXI. Non prohibentur donatarii contra donatorem postulare.
- XXII. Aboletur infamia certi temporis lapsu si à Magistratu pœna temporalis famosa ex causâ arbitrariâ imponatur. *Diff. Duaren. ad t. d. Postul. c. 6. Conf. Cujac. ad l. 1. C. de iis, qui in exil. dati.*
- XXIII. Spurii non laborant infamiâ facti. *Diff. Carpz. P. III, C. 10. d. 10. Fib. Coll. leg. Semid. VII. q. 5. n. 5. seqq.*
- XXIV. Clausula de rato in mandatis Jure Civili non est necessaria. *Diff. Wes. in Parat. ff. t. d. Procur. n. 6. Hill. ad Don. l. XIX. c. 12. l. ee. Conf. Rauch. Part. 1. q. 2. n. 5. seqq.*
- XXV. Minores 25. annis, 17. annis tamen majores, non prohibentur de Jure Civili esse Procuratores. *Diff. Zang. de Except. Part. II. c. 8. n. 92. seq. Conf. Zigl. ad Inst. Jur. Can. l. III. t. 2. §. 2. verb. Nisi. it. Phil. ad O. P. S. T. III. Confid. 2.*
- XXVI. Negotiorum gestor regulariter ad exactam diligentiam præstandam obligatur. *Diff. Hahn. ad W. t. d. Negot. gest. n. 10. verb. Aut culpa. Bach. V. I. d. 10. tb. 5. l. c. & d.*
- EX II. LIB. IV. XXVII. Postulatâ in integrum restitutione executio fieri non potest. *Diff. Carpz. P. I. C. 26. d. 22. Ant. Fab. in Cod. l. II. t. 30. d. 2. Conf. Laut. Concl. for. Ex. XII. tb. 1. l. c.*
- XXVIII. Annus utilis in restitutione ex capite metus non est mutatus in quadriennium. *Diff. Scot. ad ff. d. XX. tb. 8.*
- XXIX. Dolus causam dans contractui contractum b. f. reddit ipso jure nullum. *Diff. Bach. V. I. d. 28. tb. 2. l. f. Robert. Animadv. l. II. c. 1. 2. 4. Conf. Carpz. P. II. c. 34. d. 9. n. 3.*
- XXX. Actio doli etiam in judicium deducta Jure Civili continuô bienniô præscribitur. *Diff. Cujac. l. XIX. O. 29. Bach. V. I. d. 11. tb. 7. l. f. quod nec moribus mutatum esse sentio contra Groen. ad l. f. C. de dol. mal.*
- XXXI. Datur minori in integrum restitutio, etiam Juris Doctori, nisi juris ignorantia lapsus sit. *Diff. Duaren. ad l. 1. C. Qui & advers. quos. Gomez. l. II. R. 14. n. 5.*
- XXXII. Novô jure præsentibus adversus absentes succurritur ordin-



ordinariô remediô l. 2. C. de Ann. exc., quô rescissoria actio non est sublata.

XXXIII. Non datur restitutio contra præscriptionem propter so- lam ignorantiam. *Diff. Boër. Dec. XXXIX. n. 10, Gail. l. II. O. 19. n. 18. Cravett. Conf. CCI. n. 34.*

XXXIV. Arbitri prohibentur eligi Judices, ad quorum cogniti- onem causa jure ordinariô pertinet. *Diff. Will. P. I. d. 15. tb. 14. Uffelm. ad Rittersh. Diff. J. C. & C. l. V. c. 10. O. 1. Conf. Ant. Fab. in Cod. l. II. t. 35. d. 2.*

## Disputatio II.

I. **I**N domiciliî foro reus conveniri potest actionibus possessio- riis. *Diff. Don. l. XVII. Comm. c. 17. Zang. de Except. Part. II. c. 1. n. 323.*

EX II.  
LIB. V.

II. Forum delicti tam est, ubi delictum inchoatum, quàm ubi con- summatum. *Diff. Carpz. Pr. Cr. Part. III. q. 110. n. 16. seqq. Conf. Laut. Concl. for. Ex. XIV. tb. 10. l. a. Conf. A. Matth. de Crim. l. XLIX. t. 13. c. 5. n. 8.*

III. Forum fortitur reus in loco rei sitæ, etiamsi res mobilis in eum non perpetui usus gratiâ translata sit. *Diff. Perez. ad t. C. Ubi in rem act. n. 1. Conf. Hill. ad Don. l. XVII. c. 17. l. m.*

IV. Rei statim in Consistorio Principis conveniri possunt, si acto- res sint pupilli, viduæ aut personæ injuriâ fortunæ misera- biles, sive pauperes, sive divites, (a) non tamen virgines. (b) (a) *Diff. Matth. de Afflictis ad Const. Neapol. l. I. Rubr. 33. n. 4. Maranta de Ord. Jud. l. IV. dist. 9. n. 79. (b) Diff. Hill. ad Don. l. XVII. c. 20. l. b.*

V. Requiritur ad querelam ritè facta exclusio, sc. ut Pater & Avus descendentes suos nominatim exhæredaverint, mater & alii cognati utcunque præterierint vel exhæredaverint. Quæ distinctio nec Novellarum Jure est sublata. *Diff. Ludw. d. U. V. Part. II. c. 2. §. Ea q. p. 235. seqq. Duar. ad t. ff. de Injust. rupt. irr. c. 2.*

VI. Ex mente Imperatoris Justiniani aliæ quoque exhæredationis causæ, quàm quæ in N. CXV. c. 3. expressæ sunt, admittuntur.

A 3

Diff.



*Diff. Ludw. d. U. V. Part. II. c. 4. p. 383. Don. & Hill. l. VI. c. 12. l. m. Vultej. ad pr. j. de Inoff. test. n. 14. Conf. Jul. Clar. Sent. l. III. §. testamentum. q. 41. n. 2. Gomez. l. I. R. II. n. 12.*

VII. Victoria Parentum in querela inofficiosi testamenti etiam fratribus germanis, (a) Fratrumque consanguineorum victoria etiam uterinis & germanorum liberis prodest. (b) (a) *Diff. Treutl. V. I. D. 13. tb. 4. l. d. Vultej. ad pr. I. d. Inoff. test. n. 9.* (b) *Diff. Scot. ad ff. D. XXIV. tb. 9. Arum. Ex. X. Just. tb. 16.*

VIII. Tacitam substitutionem pupillarem excludere matrem à querela de Jure communi defendi potest. *Diff. Fach. Contr. l. IV. c. 40. Cujac. l. XII. O. 27. l. g. b. Conf. Struv. S. J. C. Ex. XXXIII. tb. 29.*

IX. Fratrem in querela adversus fratris testamentum obtinente, hæredis institutio unà cum reliquis testamenti capitibus rescinditur. *Diff. Jul. Clar. l. III. §. testamentum q. 52. n. 5. Treutl. V. I. d. 13. tb. 7. l. c. ubi Conf. Bach. verb. An in præteritione.*

X. In computatione legitimæ numerantur justè exhæredati. *Diff. Fach. Contr. l. IV. c. 31. Boër. Dec. CIV. n. 8. Conf. Cujac. ad N. XII. lit. f.*

XI. Voluptuarias impensas in hæreditatem factas b. f. possessor deducit. *Diff. Don. l. XX. c. 3. l. b. Conf. Bach. V. I. D. 14. tb. 19. l. e.*

EX II.  
LIB. VI.

XII. Utili vindicatione non tenetur b. f. possessor, si possessionem ante litis contestationem, licet latâ culpâ, amiserit. *Diff. Brunn. Ex. XXVI. Just. ad §. 1. de Act. verb. Altera. Conf. Struv. c. XVII. Dec. Sabb. 29.*

XIII. Bonæ fidei possessor fructus ante litem contestatam perceptos quoscunque suos facit. *Diff. in naturalibus fructibus Donell. l. IV. c. 25. l. f. & seqq. Duar. ad Tit. de Usur. & fruct. cap. Qui fructus in rest. ven. p. 1004. 1005. Will. ad l. 136. ff. de Reg. jur. tb. 4. de fructibus consumptis, licet inde locupletior factus sit, securus est. Diff. Ludw. Ex. IV. tb. 6. l. g. it. de fructibus naturalibus Cujac. ad African. Tract. VII. ad l. 40. ff. de acq. rer. dom. restituit tamen extantes naturales &*



- & industriales. *Diff. Don. l. IV. c. 26. l. a. b. Ungep. Ex. V. Inst. q. 13. in Nego. Conf. Fach Contr. l. I. c. 57 f.*
- XIV. In rei vindicatione reus actori rem suam non refuso pretio restituere tenetur, etiamsi reus illam emerit cum expressa protestatione, quod domino restituere velit. *Diff. Jul. Clar. Sent. l. V. §. furtum. n. 26. Carpz. P. IV. C. 39. d. 7. Conf. Moller. Semestr. l. III. c. 10.*
- XV. Mala fides superveniens actionem publicianam non excludit, etiam Jure Canonico. *Diff. Treutl. & Bach. V. I. d. 15. th. 13. l. c. Conf. Schneidvv. ad §. 4. I. d. Action. n. 56 seqq.*
- XVI. Ad Contractum emphyteuticum scriptura precise non requiritur. *Diff. Scot. ad ff. D. XXXIIX. th. 19. Borcholt. de feud. c. III. n. 7. Conf. Moll. ad P. II. Const. El. 39. n. 5.*
- XVII. Jus emphyteuticum transmittitur ad hæredes testamentarios & legitimos omnes, sive emphyteusis sit Ecclesiastica, sive civilis. *Diff. Bocer. Class. I. d. 15. th. 49. l. c. Clar. recept. Sent. l. V. §. emphyteusis. q. 28. n. 7.*
- XIIX. Culposa & insigni rei deterioratione amittitur Emphyteusis Ecclesiastica & Civilis. *Diff. Ludvv. Comm. ad l. 1. C. de bon. mat. p. m. 552. Conf. Mynf. Cent. VI. O. 86. n. 1.*
- XIX. Moram intra tempus lege definitum per Canonem non solum in Emphyteusi tam Civili, quam Ecclesiastica contractam emphyteuticarius ante domini declarationem canonem offerendo purgare potest. *Diff. Berl. P. II. Concl. 46. n. 47. Fach. Contr. l. I. c. 98. Wiss. ad Pand. Part. I. d. 18. th. 36.*
- XX. Ususfructus constituitur tacita voluntate à Domino, mediante præscriptione longi temporis & concurrente titulo. *Diff. Bach. ad Tr. V. I. d. 17. th. 9. l. b. Conf. Carpz. P. II. C. 4. d. 2. n. 5. Hill. ad Don. l. XI. c. 12. l. c.*
- XXI. Ab usufructuario exigitur media diligentia. *Diff. Andr. Scheff. Part. II. q. 11. n. 9. Perez. in C. t. de Usufr. n. 18. Conf. Struv. S. J. C. Ex. XII. th. 23.*
- XXII. Ususfructus accrescit, si conjunctim pluribus legetur & alter defecerit, etiamsi sint verbis tantum conjuncti. *Diff. Cujac. l. XXIV. O. 34. Wurms. in Nucl. Jur. Controv. l. II. t. 20. contr. 4. Fach.*

EX II.  
LIB. VII.



4. Fach. *Controvers.* l.V. c.50. *Conf.* Ludw. d. U. V. Part. I. c.5. p.154. *seqq.*

XXIII. *Ufusufructus finitur cessione extraneo factâ.* *Diff.* Hill. *ad Don.* l.X. c.19. l.b. *Wesenbec. in parat. ff. t. Quib. mod. usufr. n.5. Conf. Cuj. ad Ulpian. tit. XIX. verb. velut usufructus.*

XXIV. *Si usufructuarius fidejussoribus cavere nequeat, iudicis arbitrio juratoria cautio admittitur.* *Diff.* Myns. *Cent.* VI. O. 48. n. 8. *Eck. C. J. t. Usufr. quemadm. cav. §. 4. Conf. Gail. l. II. O. 47. n. 7.*

XXV. *Remissio cautionis usufructuariæ à testatore facta pro non adjecta habetur.* *Diff.* Hunn. *R. l. II. Tr. 2. q. 26.* quòd si autem in vero usufructu cautionem de restituenda re usufructuaria remitti posse credideris cum all. *Bach. Vinn. S. Q. l. I. c. 29.* *Franz. ad ff. t. Usufr. quemadm. cav. n. 7.* *Struv. S. J. C. Ex. XII. tb. 70.* non repugnabo.

EX II. LIB.  
IIIX.

XXVI. *Servitutes acquiruntur longi temporis præscriptione, licet sint discontinuæ.* *Diff.* *Capolla de Serv. Urb. præd. c. XIX. n. 4.* *Rost. Compar. Jur. Civ. & Can. l. II. c. 2. n. 5.*

XXVII. *Prædia urbana & rustica æstimantur hîc non ex loco, sed ex usu.* *Diff.* *Vinn. S. Q. l. I. c. 30.* *Don. l. XI. c. 4. l. b. c. Conf. Hill. ad eund.*

XXIIX. *Servitus altiùs tollendi non est, quando jure servitutis cogere possum vicinum, ut altiùs tollat suas ædes.* *Conf.* *Hill. ad Don. l. XI. c. 5. l. b. diff. Capoll. de S. P. U. c. XXVI. 2. Schneidvv. §. 1. de Serv. P. R. & V. n. 17.*

XXIX. *Proprium parietem quis liberè, etiã non constitutâ servitute, aperit.* *Diff.* *Cujac. l. I. O. 31.* *Duaren. Diss. annivers. l. I. c. 33.* *Costal. ad l. 4. ff. de Serv. præd. urb.*

XXX. *Servitus altiùs non tollendi & altiùs tollendi sunt diversæ, non eadem.* *Diff.* *Bach. V. I. D. 17. tb. 3. l. d. id. de Act. d. II. tb. 22.* *Conf. Hahn. ad Wesf. de Serv. urb. præd. n. 3.* *Vinn. ad §. 1. I. de Serv. præd. R. & V. n. 6.*

XXXI. *Actio negatoria fundat se in libertate, quæ probanda, si adversarius est in qs. possessione servitutis.* *Conf.* *Franz. t. si usufr. pet. n. 7.* *Conf. Laut. Concl. for. Ex. XIIIX. tb. 10.*

Dispu-



## Disputatio III.

- I. **U**tilis actio de pauperie datur, si fera bestia, quæ in alicujus dominio est, damnum dederit *diff. Brunn. ad l. fin. ff. Si quadrup. paup.* EX II. LIB. IX.
- II. Actio Legis Aquiliæ non datur provocanti vulnerato ad expensas & interesse.
- III. In Legem Aquilianam non incidit, qui avertendi incendii gratiâ ædificium destruxit, dummodo de justo metu constet. *Dissent. Scot. ad ff. d. XXVIII. tb. 7. Conf. Struv. Diss. de Ædif. priv. tbef. 69.*
- IV. Utilis actio L. Aquiliæ libero homine occiso datur illius hæredibus ratione expensarum & damni vulnerationis. *Diss. Cujac. l. XXI. O. 20. Treutl. V. I. d. 18. tb. 10. l. g. ubi Conf. Bach. Gomez. l. III. c. 3. num. 37. Durand. Spec. Jur. l. IV. part. 4. t. d. Injur. §. 2. n. 4.*
- V. Qui agit contra vicinum, in cujus ædibus ignis exortus, probare tenetur ipsius culpam *Conf. Dee. El. N. LXXX.*
- VI. Actio finium regundorum præscribitur longissimo tempore. *Diss. Treutl. V. I. d. 19. tb. 8. l. c. d. Conf. Bachov. d. l. Vinn. S. 2. l. I. c. 34. verb. Duo ergo.* EX II. LIB. X.
- VII. Divisio hæreditatis per sententiam judicis, quæ transit in rem judicatam, facta firma est, licet immodicè quis læsus sit. *Diss. Scot. ad ff. Diss. XXVIII. tb. 24. Wesenb. in parat. ff. t. fam. berc. n. 9. Conf. Zobel. Differ. Jur. Civil. & Saxon. Part. II. Diff. 28. num. 6.*
- VIII. Privato hæredum arbitrio facta divisione resarciri debet etiam modica inæqualitas. *Diss. Ant. Fab. de Err. pragm. Dec. VIII. err. 1. 6. f. Wisenb. Part. I. d. 22. tb. 24. licet divisio per sortem facta. Diss. Gomez. l. II. R. 14. f. Faber. d. l. err. 2. f. Arum. ad l. 2. C. de Resc. vend. Diss. II. tb. f.*
- IX. Objectum actionis ad exhibendum sunt res mobiles & immobiles actori incognitæ. *Diss. Meier. in C. A. t. ad exhib. tb. 6. it. Wes. in parat. ff. d. t. n. 5.*



- EX II. LIB. XI. X. Forum quis fortitur ex continentia causarum etiam in criminibus. *Diff. Groen. d. LL. abrog. t. de quib. reb. ad eund. num. 2. Conf. Menoch. de Arb. Jud. Quest. l. II. cas. 371. n. 12.*
- XI. Famulis ante finitum locationis tempus a dominis discedentibus integra merces non debetur, ne quidem præcedentis temporis. *Conf. Carpz Part. II. Const. 51. d. 13. Col. P. I. dec. 201. n. 12. 13. Moller. Semest. Part. II. c. 17*
- XII. Sponsiones per se omni jure sunt licitæ. *Diff. Wiss. ad π. P. I. d. 23. tb. 18. Conf. Heig. Part. II. qv. 10. n. 53. seqq.*
- XIII. Salaria Chirurgorum, Medicorum &c. in ultima curatione stricto jure ad sumtus funeris non pertinent. *Diff. Moll. ad P. I. C. El. 28. n. 27. Berlich. P. I. Concl. 64. n. 96. 99. Conf. Wiss. ad π. P. I. d. 23. tb. 23.*
- EX II. LIB. XII. XIV. Querela non numeratæ pecuniæ obtinet etiam inter mercatores. *Diff. Coler. de Proc. Exec. P. IV. c. 1. n. 109. Conf. Fach. Contr. l. II. c. 86. Struv. c. XIII. Dec. Sabb. 30. Scot. ad ff. d. XXIX. tb. 22.*
- XV. Querela non numeratæ pecuniæ locum habet etiam in cambiis. *Diff. Struv. c. XIII. Dec. Sabb. 31. Carpz. de Contr. mut. pos. 18. Conf. Laut. Concl. for. Ex. XXII. tb. 16. 18.*
- XVI. Exceptio non numeratæ pecuniæ excluditur præscriptione biennii; debitor tamen auditur si probare velit numerationem non esse factam: nam habet generalem doli exceptionem. *Diff. Zang. de Except. Part. III. c. 14. n. 66. seq. Donell. Comm. l. XIV. c. 38. l. b. Gudel. de Jur. Nov. l. III. c. 6. verb. Porrò. Fach. Contr. l. II. c. 81. Conf. Gomez. Variar. Resolut. lib. II. c. 6. num. 7.*
- XVII. Contra apocham Creditoris XXX. diebus præscribitur querela non numeratæ pecuniæ, nec postea probaturus nihil aut minus esse solutum auditur. *Diff. Anton. Fab. in Cod. l. IV. t. 22. d. 7. n. 4. Conf. Carpz. d. Contr. mutui pos. 19. Harpr. Part. 2. Dissp. 8. Inst. tb. 27.*
- XVIII. Non defertur juramentum purgationis stuprum confessio ratione promissi matrimonii, si aliæ non adsint conjecturæ. *Diff. Beust. de Sponsal. Part. I. q. 47. Consult. Sax. t. de Matrimon. Part. I. q. 6. Conf. Dec. El. N. LXXXI.*
- XIX. Juramentum judiciale deferri potest ab actore etiam si defrens



rens nihil probaverit. *Diff. Bachov. V. I. d. 21. th. 9. l. c.* Du  
rand. *Spec. Jur. L. II. Part. 2. Rubr. de Juram. delatione. n. 4.*  
*Conf. Hill. ad Don. l. XXIV. c. 20. l. d. Berl. Part. I. Conclus. 29.*  
*n. 8. Cujac. l. XXII. O. 28. vel actor probaturus defecerit. Conf.*  
*Fab. de Err. pragm. Dec. XIX. err. 9. Fach. Contr. l. I. c. 20. ubi*  
*diff. Setser. d. Jurej. l. IV. c. 2. n. 39.*

XX. Infamis potest deferre juramentum; nam relationis impedi-  
mentum non statim impedit delationem. *Diff. Ant. Fab. in*  
*Cod. l. IV. t. 1. d. 17. id. de Error. pragm. Dec. XIX. error. 8. f.*  
*Carpz. Proc. T. II. art. 1. n. 86. seqq. Conf. Cravett. Conf. 203.*  
*num. 19. 20.*

XXI. Si mortuus sit, cui delatum est jusjurandum judiciale, hæres  
non potest illud præstare. *Diff. Treutl. V. I. d. 21. th. 10. l. g.*  
*Conf. Setser. tr. de Jurej. l. IV. c. 2. n. 26. seq. Zobel. diff. 7. C.*  
*& Sax. Part. I. diff. 28.*

XXII. Juramentum judiciale eo, cui delatum est, mortuo non habe-  
tur pro præstato. *Diff. Myns. Cent. I. O. 13. Schulz. S. 7. t. de*  
*Action. lit. b. Coler. Part. I. dec. 116. n. 12.*

XXIII. Juramentum suppletorium etiam ex officio defert Judex.  
*Diff. Anton. Fab. in Cod. l. IV. t. 1. d. 8. Fibig. Proc. Part. II. c. 2,*  
*p. m. 593. ubi Conf. Excell. Dn. Swendend. Scot. ad ff. d. XXX.*  
*th. 24. Fach. Contr. l. I. c. 16.*

XXIV. Judex præsentibus requisitis juramentum suppletorium præ-  
termittere non potest. *Diff. Don. comm. l. XXIV. c. 19. l. u. x. ub.*  
*Conf. Hill. diff. Berl. P. I. Concl. 53 n. 53. seq. Conf. Coler. Part. I.*  
*c. 10. n. 140. Carpz, Proc. t. XII. c. 2. n. 16. Moller. Part. I.*  
*C. 23. num. 67.*

XXV. Actor vel reus, cui defertur juramentum suppletorium, de  
veritate jurare debet. *Conf. Myns. Cent. I. O. 68. n. 2. Menoch.*  
*Arb. Jur. Quest. l. II. cent. 2. c. 190. n. 5. seq.*

XXVI. Non defertur juramentum suppletorium, si factæ probatio-  
nes per contrarias alterius elisæ & utrinque æquales sint. *Diff.*  
*Dón. Comm. l. XXIV. c. 19, lit. t. Duaren. disp. annivers. l. II.*  
*c. 33. Conf. Franz ad ff. t. de Jurej. n. 133.*

XXVII. Juramentum in litem affectionis præstari potest etiam in ju-  
dicio emti. *Diff. Fab. de Err. pragm. Dec. XVII. err. 7. Hill. ad*  
*Don. l. XXVI. c. 8. l. g. b.*



- XXVIII. Differentia inter actiones bonæ fidei & stricti Juris directas & contrarias in materia jurisjurandi in litem hodie non est sublata. *Diff. Carpz. Part. III. Dec. 265. n. 10. 11. Conf. Brunemann. ad l. 5. ff. de in lit. jur. n. 3. 9. 10.*
- XXIX. Si quis judici aliquid dederit ut in bona causa pro se judicet datum conditione ob turpem causam non repetitur. *Diff. Perez. ad Cod. b. t. n. 7. Costal. ad t. 2. ff. de cond. ob turp. caus. Arum. ad ff. d. XI. th. 15. Conf. Clud. Tr. de Cond. ob turp. caus. c. II. n. 11. seqq. Donell. Comm. l. XIV. c. 25. l. b. Menoch. Arb. Jud. Quest. l. II. c. 343. n. 5. it. c. 342. n. 19. seq.*
- XXX. Illius, quod in diem incertum tantum quando promissum & ante diem solutum est, inter usurium ob citiorem solutionem exigi non potest. *Diff. Duaren. ad t. ff. de cond. indeb. c. 5. Conf. Scot. ad ff. d. XXI. th. 5.*
- XXXI. In jure errans solutum non condicit, etiamsi nulla subsit obligatio naturalis jure civili agnita. *Diff. Hahn. ad Wes. t. de cond. indeb. n. 9. Conf. Franz. Ex. XI. q. 8.*
- XXXII. Condictio indebiti non cessat ob illius renunciationem expressam. *Diff. Clud. d. Cond. indeb. c. 5. n. 19. & præc. Costal. ad l. f. ff. de cond. indeb. n. 2. Conf. Duar. ad t. d. cond. ind. c. f. Brunn. ad l. f. ff. eodem. n. 2.*

## Disputatio IV.

- EX II. LIB. XIII. I. **C**ondictio furtiva datur contra hæredes furis in solidum. *Diff. Cujac. l. VII. O. 37. Conf. Tab. Rac. Crim. II. th. 54. Struv. Synt. 7. C. Ex. XVIII. th. 54. licet nihil ad illos ex delicto pervenerit & fur laqueo suffocatus fuerit. Diff. Berl. Part. IV. Concl. 19. n. 35. Conf. Heig. Part. II. qv. 23. n. 22. seq. Rauchb. Part. II. q. 10. n. 14. Laut. Concl. for. Ex. XXV. th. 4. Conf. Dec. El. N. LXXXVI.*
- II. Illi, cui furtum est factum, non competit in bonis furis tacita hypotheca. *Diff. Moller. Semestr. l. II. c. 19. n. 11. Berl. Part. I. Concl. 67. n. 75*
- III. Actio ex L. diffamari non est condictio ex lege, sed imploratio  
offi-



officii Judicis. *Diff. Treutl. V. I. d. 23. tb. 1. l. d. Conf. Brun-*  
*nemann. ad l. un. ff. de Cond. ex leg. n. 2. Wiss. ad π. Part. I.*  
*D. 26. tb. 6.*

- IV. Judex in actione de eo quod certo loco interesse rei etiam post  
moram rationem habet. *Diff. Cujac. ad Africanum Tr. III. in*  
*l. 8. ff. b. p. m. 398. l. b. Bachov. ad Tr. V. I. d. 23. thes. 4. l. c.*  
*Hahn. ad Wesenb. t. de eo quod cert. n. 6. Conf. Scot. ad ff. d.*  
*XXXI tb. 19.*
- V. Actor actionem de eo quod certo loco instituere potest tan-  
tum in loco, ubi reus alias forum sortitur, ut in loco domicilii.  
*Diff. Carpz. l. II. Resp. 30. n. 13. Conf. Scheffer. Part. I. q. 35. in*  
*loco contractus, scil. solutioni destinato, instituitur directa*  
*actio.*
- VI. Si duo in solidum obligati proprium illud debitum constitu-  
erint, ab uno solidum exigi potest, quod non est correctum  
per l. f. C. d. Const. pec. *Diff. Treutl. V. I. D. 23. tb. 8. l. c. Conf.*  
*Perez. ad C. r. d. Const. pec. n. 14. Conf. Lauterb. V. I. D. 4. de be-*  
*nef. divis. tb. 19.*
- VII. Si quis pluribus rem pariter commendaverit, & omnium fidem  
in solidum secutus sit, contra singulos in solidum competit a-  
ctio non tantum quoad doli & culpæ præstationem, sed etiam  
quoad ipsam obligationem primitivam & rei restitutionem.  
*Conf. Brunn. ad l. 5. § f. ff. b. Scot. ad ff. D. XXXII. tb. 8. Dua-*  
*ren. ad t. Commod. c. 8. p. m. 958.*
- VIII. Rei commodatæ, quæ deterior facta est, interesse præstatur,  
etiamsi commodans eam sciens simpliciter receperit. *Diff. Wiss.*  
*ad π. Part. I. D. 27. tb. 13. Costal. ad l. 37. ff. de dol. mal. Conf.*  
*Struv. c. V. Dec. Sabb. 6.*
- IX. Qui pacto in se suscepit casus fortuitos, etiam insolitos præstare te-  
netur. *Diff. Aym. Cravett. Conf. 294. n. 8. verb. infertur ex præ-*  
*missis. Zang. de Exc. P. III. c. 24. n. 4. seq. Rauchb. part. II. qv.*  
*29. n. 19. Conf. Fach. Contr. l. I. c. 86.*
- X. Pactum *in solido* tacite initur ad modum legitimarum usura-  
rum in cas. l. 8. ff. Quib. m. pign. *Diff. Vinn. S. 2 l. II. c. 7.*  
*Conf. Bachov. d. Pign. l. I. c. 14. num. 4. Conf. Cujac. l. VIII.*  
*O. 17.*



- XI. Pactum commissorium pignori adjectum non valet, licet ex intervallō sit, additum. *Diff. Hunn. R. l. III. Tr. 7. part. 1. q. 5. Lipskius Cent. II. O. 324. Conf. Bach. V. II. D. 1. tb. 6. l. d. verb. Neqvis. Brunn. Ex. 17. Just. ad §. f. l. Quib m. re contr.*
- XII. Actio pignoratitia est perpetua ita ut debitor etiam post 30. & 40, annos debitum offerre & hac actione pignus repetere possit. *Diff. Gothofr. ad l. 7. §. 3. C. d. Præser. 30. vel 40. lit. i. Vinn. S. Q. l. II, c. 6. Bach. d. Pignor. l. V. c. 20.*
- EX II. LIB. XIV. XIII. Si plures exercitores navem per Magistrum exercent, ex illius contractu singuli in solidum obligantur. *Diff. Grot. d. J. B. & P. l. II, c. 11. tb. 13. Græen. de LL. Abrog. ad §. 2. I. Quod cum eo qvi & c. n. 1. 2. Conf. Scot. ad ff. D. 33. tb. 5. Laut. Concl. forens. Ex. 26. tb. 1. l. a.*
- XIV. Contributio ex Lege Rhodia æquitatis intuitu per extensionem locum habet, si urgente incendio domus aliqua diruta sit ceterarum conservandarum causa, neque hic distingvendum, an quodammodo certum fuerit, dirutam domum nihilominus perituram, nec ne? *Conf. Laut. Diff. de Æquit. & extens. Leg. Rhod. tb. 14. 16. 7.*
- XV. Non jure institores præponunt, qui negotiationem quæstuariam exercere prohibentur. *Diff. Brunn. ad l. 2. ff. de admin. rer. ad civ. Conf. Ziegl. de J. Maj. l. I. c. 41. tb. 12. Lipsk. Cent. I. O. 74. n. 5. Conf. Menoch. de Arb. Jud. Qv. c. 59.*
- XVI. Institor finito officio ex contractu, quem ut institor iniit, conveniri nequit. *Diff. Duaren. ad t. d. Instor. act. c. 4. Conf. Bach. d. Action. Disput. VIII. thes. 11. j. id. ad Treutler. V. I. D. 24. thes. 7. l. e.*
- XVII. Si servus plures exercuerit negotiationes, vel ejusdem negotiationis plures habuerit tabernas, cujuscunq; negotiationis vel tabernæ merces separatim inter ejusdem Creditores distribuntur. *l. 5. §. 15. 16. ff. d. trib. act. quod Doctores perperam ad liberi hominis negotiationes extendunt. Diff. Paul. de Castro ad d. l. 5. §. 15. n. 1. Tib. Decian. V. 2. Resp. 107. à n. 29. ad 37. Conf. Laut. Concl. for. Ex. XXVI. tb. 14.*
- XVIII. Senatus-Consultum Macedonianum consulit filios familias etiam in dignitate constituto, modò per dignitatem à patria pote-



potestate non fit liberatus. *Diff. Costal. in l. 1. ff. ad SCt. Mac.*  
*Hahn. ad Wes. d. t. n. 5.*

XIX. Exceptio SCti Macedoniani post sententiam demum opposita  
ejus executionem impedit. *Diff. Zang. d. Except. part. III. c. f.*  
*n. 93. Conf. Gomez. Resp. l. II. c. 6. l. c. Hill. & Don. l. XXII. c. 8.*  
*lit. l. Coler. d. Proc. Exec. part. IV. c. 1. n. 163.*

XX. Cessat Exceptio SCti Macedoniani si filius totum debitum ejus-  
ve partem solverit. *Conf. Zang. de Except. part. III. c. 12. n. 44.*  
*Scot. ad ff. D. XXXIII. th. 19. Arum. ad ff. D. XII. th. 5. ubi*  
*Diff. vid.*

XXI. Non tollitur Exceptio SCti Macedoniani per renunciationem  
filii. *Diff. Zas. cui Resp. Hunn. R. l. III. Tr. 3. part. 1. q. 17. Clud.*  
*tr. d. Cond. indeb. c. 8. n. 78. seqq. licet juratam, etiam de Jure*  
*Canonico. Diff. Carpz. part. III. Dec. 256. n. 14. seqq. Conf. Pe-*  
*rez. ad C. t. ad SCt. Maced. n. 19.*

XXII. Pater administrator bonorum filii famil. quæ sunt in peculio  
adventitio regulari, inventarium conficere non tenetur. *Diff.*  
*Durand. Spec. Jur. l. II. part. 2. rubr. d. instrum. edit. §. f. verb.*  
*Quid de Patre. Conf. Moller. ad part. 3. C. El. 25. n. 6.*

EX II.  
LIB. XV.

XXIII. Pater legitimus bonorum filii administrator ob causam neces-  
sariam vel utilitatem filii etiam absque decreto rectè alienat  
ejusd. immobilia. *Diff. videtur Jason ad l. 12. C. d. Transact.*  
*n. 5. 6. Conf. Paul. de Castro ad d. l. n. 5. Fach. Contr. l. VI. c. 40.*

XXIV. Usufructus legitimæ, liberis necessariò relinquendæ, Patri  
non potest adimi. *Diff. Boër. dec. 194. n. 2. Berl. part. I. dec. 137.*  
*n. 15. seq. Conf. Fach. Contr. l. V. c. 21. Laut. Conclus. for. Ex.*  
*XXVII. thes. 12.*

XXV. Filius familias de peculio adventitio irregulari jure non testa-  
tur. *Diff. Hunn. R. l. II. Tr. 5. qv. 10. Vaud. l. I. q. 1. Conf. Clar.*  
*sentent. l. 3. §. testamentum. q. 18. n. 2. Ungepauer Exerc. 8.*  
*Just. qv. 6.*

XXVI. Exceptio SCti Vellejani etiam post rem judicatam opponi  
potest ad executionem impediendam. *Diff. Coler. de Proc.*  
*Exec. part. IV. c. 1. n. 161. 162. Zang. d. Except. part. III. c. 26.*  
*num. 93. Conf. Durand. Spec. Jur. l. II. part. 1. t. d. Except.*  
*§. 3. num. 14.*

EX II.  
LIB. XVI.

XXVII.



- XXVII. Cessat Exceptio S<sup>C</sup>ti Vellejani si fœmina, de jure sibi competente & vi S<sup>C</sup>ti edocta, eidem renunciaverit. *Diff* Gomez. l. II. *Res.* 13. n. 17. Rauchb. *part.* I. q. 34. n. 5. Don. & Hill. *lib.* XII. c. 32. l. d. *Conf.* Cujac. l. XIX. O. 34. Fach. *Contr.* l. II. c. 59. etiam extrajudicialiter. *Diff.* Paul. de Castro *ad l. f.* §. 4. ff. *ad S<sup>C</sup>t. Vellej.* n. 3. seq. it. Costal. *add. l. n. 6.* *Conf.* Clud. *tr. de cond. ind.* c. 8. n. 87. seq.
- XXVIII. Compensatio fit inter mutuos debitores, licet debitor, antequam ex alia parte debitum supervenerit, se soluturum juraverit, secus est si tempore juramenti mutuum adfuerit debitum. *Diff.* Fach. *Contr.* l. I. c. 7. *Conf.* Struv. *Synt. J. C. Ex.* XXI. *th.* 27. *Conf.* Brunnem. *ad l. IV.* §. 7. ff. *de Re jud.* n. 18. Moller. *ad P. I. C. El.* 8. n. 1.
- XXIX. Non rectè compensat Procurator in rem alienam, suo nomine conventus, id quod debetur Domino.
- XXX. Non compensatur species pro specie vel species pro quantitate, *Diff.* Duar. *ad t. d. Compens.* c. 2. p. m. 995. *id.* *ad l. 7.* §. 5. ff. *sol. matr. p. m.* 264. *Conf.* Zanger. *de Except.* part. III. c. 8. n. 109. seqq. Obrecht. *Disp. de Compens.* *th.* 125. seqq. Speciei autem appellatione etiam veniunt nummi, e. g. in illa arca, vel vel apud Titium depositi. *Diff.* Hill. *ad Don. l.* XVI. c. 15. *lit. x.* *Conf.* Scot. *ad ff.* D. XXXIV. *th.* 20. Hahn. *ad Wes. b. t.* n. 6.
- XXXI. Compensatio fit in genere eodem utrinque debito indeterminate v. gr. ex utraque parte debito equo, sine certa determinatione. *Diff.* Perez. *ad C. t. d. Compensat.* n. 14. Treutl *V. I.* D. 25. *th.* 8. l. c. *Conf.* Wiss. *ad π. p. I.* D. 31. *th.* 1.
- XXXII. Objectum depositi sunt etiam res immobiles. *Diff.* Schneidw. *ad §. 3. l. quib. m. re contr.* n. 10. Arum. *Ex. XII. Just.* *th.* 14. *Conf.* Gædd. *ad l. 110.* ff. *de V. S.* n. 3. Hunn. *Res. l. III. Tr. 3. part. 4. q. 1.*
- XXXIII. Usuræ non sunt præstandæ ob solum rei depositæ usum à deponente depositario concessum. *Diff.* Dion. Gothofred. *ad l.* 28. ff. *depos. lit. m.* *Conf.* Struv. c. 6. *Dec. Sabb.* 19.
- XXXIV. Adversus deponentes non permittitur depositariis retentio licet ob expensas necessarias. *Diff.* Paul. d. Castro *ad l. II. C. depos.* n. 4. Brunnem. *ad l.* 23. ff. *cod.* n. 23.

Dispu-



- I. **M**andatario, qui mandatum excessit, datur quidem quoad summam concurrentem actio mandati. *Diff. Cujac. l. XII. O. 34. Conf. Hill. ad Don. l. XIII. c. 12. lit. b.* attamen huic quoad excessum ne quidem actio negotiorum gestorum competit. *Diff. Scot. ad ff. D. XXXV. th. 21. Myns. ad §. 8. 1. Mand. n. 3. Treutl. V. I. Dissp. 27. th. 7. lit. b.*
- II. Mandatarius præstat levissimam culpam *Diff. Brunn. ad l. X. ff. Mand. n. 1. seqq. Conf. Duaren. ad t. Mand. c. 2. §. Secundo. Burgund. Comment. de peric. & culp. c. 3. n. 6.*
- III. Ex societate universali omnium bonorum unus filiam dotat licet alter liberos non habeat. *Diff. Gothofred. ad l. 81. ff. pro Soc. Conf. Franz. ad ff. h. t. n. 18. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. XXII. th. 27.*
- IV. Si ab una parte res conferatur, ab altera verò tantum operæ præstentur, regulariter res tantum quoad usum censetur communicata & finita societate conferenti tota est restituenda. *Diff. Hunn. Res. l. 3. Tr. 7. part. 3. qu. 2. Conf. Fach. Contr. l. II. c. 94 Conf. Covarr. Var. Resol. l. III. c. 2. n. 7. unde hoc in casu pecuniæ casu perditæ periculū pertinet ad solum conferentē, tanquam ejus Dominum. Diff. Paul de Castro ad l. 1. C. Pro Soc. n. 2. Hunn. d. l. q. 1. Conf. Fach. d. l. c. 95. Brunn. ad l. 52. §. 2. ff. pro soc. n. 2.*
- V. Per Conventionem ad unum in societate duæ partes lucri & una pars damni, vel una pars lucri & nullum damnum pertinere potest. *Diff. Gomez. Res. l. II. c. 5. n. 5. Cravetta Conf. 173. num. 1. Franz. ad ff. h. t. num. 69. seqv. Conf. Bachov. V. I. D. 27. th. 9. lit. b.*
- VI. Fructus qui sunt in herbis nec Ord. Pol. Imp. d. A. 1577. t. 19. **EX II. LIB. XVIII.** simpliciter vendere prohibitum est. *Diff. Ziegl. de J. Maj. l. I. c. 41. th. 64. 65. Conf. Faber in C. l. 4. t. 17. d. 8.*
- VII. Quando res comparatur ad mensuram, mensura fieri potest etiam post 60. dies in perpetuum. *Diff. Treutl. V. I. D. 28. th. 7. l. e. Costal. ad l. si fundum. ff. de Contrab. emt. Conf. Brunn. ad l. 31. §. 22. ff. d. Edil. edict.*



- VIII. Si pretii determinatio collata in arbitrium alicujus ex contractibus emptio nulla est. *Diss. Scot. ad ff. D. 36. tb. 4. Don. Comm. l. XIII. c. 1. l. r. ubi Conf. Hill. Gomez l. II. Resp. 2. n. 19.*
- IX. Cùm pactum de retrovendendo initum est pretio restituto venditori contra emptorem actio personalis non realis competit. *Diss. Paul de Castro ad l. 13. ff. de pign. act. num. 6. Conf. Myns. Cent. VI. O. 69. Wiff. ad π. part. I. D. 35. tb. 31.*
- X. Ex pacto de retrovendendo certum pretium continente actio ad rem præcisè tradendam conceditur. *Diss. Ant Fab. de Error. Pragm. dec XXII. err. 4. Conf. Fach. Contr. l. II. c. 8.*
- XI. Simulationis allegatio etiam instrumentis quarentigiatis opponitur. *Diss. Moller. ad p. 2. C. El. 19. n. 66. Conf. Coler. de Proc. Execut. part. I. c. 10. num. 268. seq. Rauchb. part. II. qu. 25. num. 98. seq.*
- XII. Quoties addictio in diem fit sub conditione resolutive emptor fructus ex re vendita perceptos suos facit revocabiliter. *Diss. Tiraquell. ad l. 8. C. de revoc. don. verb. revertatur. n. 230. Conf. Hill. ad Don. l. XVI. c. 18. l. e. Ant. Fab. de Err. pragm. dec. 22. err. 1.*
- XIII. Emptor sub pacto legis commissoriarum fructus interim perceptos restituit, nisi aliud inter partes actum sit. *Diss. Fab. de Error. Pragm. dec. 22. err. 2. p. 773.*
- XIV. Venditor hæreditatis non præstat emptori portionem, quæ post venditionem factam accrevit. *Diss. Robert. Animadvers. Jur. l. III. c. 12. Duar. de Jur. accresc. l. II. c. 6. Perez. ad C. h. t. n. 15. Conf. Cujac. l. XII. O. 13. Jason. ad l. 89. ff. de leg. 3. n. 126. seqv. usq. ad n. 143.*
- XV. Actio injuriarum æstimatoria vendi potest. *Diss. Brunn. de Cess. action. c. 4. n. 57. Strauch. Diss. Just. 17. tb. 18. Conf. Hunn. Resp. l. IV. part. 7. q. 10.*
- XVI. Cessionarius privilegio uxoris & liberorum ejus, ratione dotis, non gaudet. *Diss. Myns. Cent. III. O. 3. n. 1. Conf. Brunn. de Cess. action. c. IV. n. 88. Jason. ad l. 24. ff. solut. matrim. num. 233. Schneidw. ad §. 29. I. de Action. n. 70.*
- XVII. Si venditor à cessionario inductus b. f. actionem cessit pretio æquo viliori, tum ille actionem suam salvam retinet ad residuum,



um; si verò inter venditorem & emptorem collusio quædam intervenit, in fraudem legis, tunc superfluo uterque merito privatur, ita ut illud debitori cedat. *Diff. Cujac. l. X. O. 3. f. Don. Comm. l. XV. c. 43. l. d. Durand. Spec. Jur. l. II. part. 1. t. d. cess. act. §. 1. n. 7.*

XVIII. Cessat remedium l. 2. C. de Resc. vend. si sciens verum rei pretium minoris vel majoris vendat vel emit. *Diff. Fach. Contr. l. 2. c. 20. verb. Quintò controvertitur. Conf. Paul. de Castro ad l. 2. C. de Rescind. vendit. num. 7. Conf. Cravetta. Conf. 151. num. 25.*

XIX. Emptori etiam enormiter læso ex l. 2. C. de Resc. vend. succurritur. *Conf. Robert. Animadvers. l. II. c. 13. Scot. ad ff. D. XXXVII. th. 5. Hahn. ad Wes. h. t. n. 6.*

XX. Locum quidem habet l. 2. C. de Resc. vend. in venditione prævio Judicis decreto permittitur. *Diff. Paul. de Castro ad l. 2. C. n. 5. Arum. Diss. III. ad d. l. th. 18. non tamen in venditione sub hasta facta. Diff. Perez. ad C. t. d. Resc. vend. num. 19. Cravett. Conf. 29. n. 4. Fach. l. 2. Contr. c. 21. verb. Amplius. Ant. Fab. in C. l. 4. t. 30. d. 4. Conf. Moll. Semest. l. III. c. 12. Struv. Synt. Jur. Civ. Ex. XXIII. th. 89.*

XXI. Remedium l. 2. C. non datur venditori contra tertium possessorem, licet ille tertius titulo lucrativo rem acceperit. *Diff. Covarr. Var. Res. l. II. c. 3. n. 10. Conf. Fach. Contr. l. II. c. 18. Gomez. l. II. Resp. 2. n. 22. Scot. ad ff. D. 37. th. 20.*

XXII. Perfecta emptione regulariter ad emptorem pertinet interitus periculum. *Diff. Grot. d. J. B. & P. l. II. c. 12. th. 15. Cujac. ad African. Tr. VIII. ad l. 33. ff. loc. Conf. Franz. ad ff. t. d. peric. & somm. n. 13. seq. Hahn. ad Wes. h. t. n. 1.*

XXIII. Actione emti rei venditæ traditio petitur præcisè. *Diff. Fach. Contr. l. II. c. 30. Wiss. ad π. part. I. D. 37. th. 2. Don. l. XIII. c. 2. lit. a. Conf. Hill. ad eund. Mynsing. Cent. IV. O. 61. Cujac. ad l. 72. ff. d. V. O.*

XXIV. Emptor qui propter imminens evictionis periculum pretium retinet donec satisfactio præstetur, ad illius temporis usuras non tenetur. *Diff. Covarruv. Var. Res. l. III. c. 4. n. 6. verb. Duodecimo. Fach. Contr. l. II. c. 31. verb. Altera.*



- XXV. Si in scriptis certum tempus locationis est expressum, ad illud ipsum conductio tacite renovata videtur. *Diff. Ant. Fab. in C. l. IV. t. 41. d. 48. Conf. Struv. c. 9. dec. Sabb. 31.*
- XXVI. Subconductoris res in vectæ primo locatori obligantur pro ea parte, quâ conduxit. *Diff. Hahn. ad Wes. t. in quibus caus. pign. n. 1. Conf. Costal. ad l. 11. § 5. ff. de pign. act. Wissenb. ad π. part I. D. 39. tb. 18. Beat. sent. part. I t. 24. d. loc. cond. c. 11.*
- XXVII. Si locator rem locatam simpliciter, sine pacto de re illa non alienanda oppignoraverit, conductor quidem rem sibi locatam & oppignoratam tamdiu retinere potest, donec quod interest ipsi præstetur; eo verò præstito, atque sic re locata a pignore liberata, emtor conductorem expellere non prohibetur. *Diff. Col. l. 1. Dec. 8. n. 18. Conf. Covarr. Var. Res. l. II. c. 15. n. 3. verb. secundum. Ant. Fab. in C. l. 4 t. 41. d. 19. n. 3.*
- XXVIII. Per locationem transit in conductorem nuda detentio licet locatio ad longum tempus fuerit contracta. *Diff. Forster. de Success. l. II. c. 2. n. 15. 16. Donell. Comm. l. XIII. c. 16. l. m. ubi Conf. Hill. Franz. Ex. H. 9. 5.*
- XXIX. Ob contingentem majorem ubertatem pensio ab initio conventa non augetur. *Diff. Gomez. Res. l. II. c. 3. n. 18. Costal. ad l. 25. §. vis major. 6. ff. loc. cond. Conf. Paul. de Castro ad d. l. 25. §. 6. num. 6.*
- XXX. Locator conductori restituit impensas in rem conductam ad utilitatem perpetuam factas, absque distinctione inter magnas & modicas. *Diff. Boer. dec. 44. n. 13.*
- XXXI. Solum pactum de permutatione, neque jure Canonico. *Diff. Rittersh. d. Diff. J. Civ. & Can. l. 3. c. 10. Conf. Uffelm. ad eund. O. 4. it. Clud. d. Condi. caus. dat. Disp. II. tb. 2. neque hodiè parit actionem. Hartm. Pistor. O. 167. n. 9.*
- XXXII. Permutatio fit rei traditione licet traditio ex una tantum parte suscepta sit. *Diff. Ant. Fab. in C. l. 4. t. 40. d. 9.*
- XXXIII. Re aliena data nulla contrahitur permutatio nec accipiens conveniri potest actione præscriptis verbis; sed tantum conditione ex bono & æquo: quasi causa data causa non secuta. *Diff. Strauch. Diff. XV. Just. tb. 9. Conf. Cujac. l. XXIII. O. 8. Paul. de Castro ad l. 1. ff. de rer. permut. n. 11. Will. ad π. Part. I. Dec. XXXVII. tb. 6.*
- Dispu-



## Disputatio VI.

- I. **P**ost Nov. IV. c. 2 & c. principalis debitor & fidejussores excutiendi etiam in speciali hypotheca antequam possessor tertius conveniatur. *Diff. Berl. p. II. Concl. 24. n. 67. Hahn. ad W. t. d. Distract pign. n. 1. Brunn. ad l. f. C. d. O. & A. n. 3. Conf. Rittersh. ad Nov. part. III. c. 2. n. 34. Gudel. d. Jur. Nov. l. IV. c. 7. verb. Similiter. Conf. Bach. de pign. l. III. c. 17. n. 3.* EX II.  
LIB. XX.
